Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

http://www.archive.org/details/progymnasmatarhe00apht

Aphthonii Sophistæ

PROGYMNASMATA RHETO-

rica, Rodolpho Agricola Phrisio interprete.

LVTETIAE,

Ex *officina Michaëlis Vascosani, uia Iacobæa*

ad insigne Fontis.

M.D.LII.

LECTORI.

Habes optime lector exercitationis modos quatuordecim, ad parandam orationis facultatem, adaugendámque item eloquentiam cum primis necessarios, ut quos & primos habuit, & diu solos, prima Rhetorices institutio. In quibus si te diligenter exerceas, nimirũ comperies nihil esse quod ad ulla dicendi præexercitamenta pertineat, quod in hisce non sit traditum, discussum, & absolutum. Fruere lector, & faue.

Deliberatiui sunt generis
- *Fabula* — *Fabula quidem non multum indiget exercitatione.*
- *Historia*
- *Chria siue utilitas*
- *Sententia*
- *Thesis.*

Iudicialis sunt generis
- *Comprobatio*
- *Improbatio*
- *Locus communis.*

Demonstratiui sunt generis
- *Laus*
- *Vituperatio*
- *Imitatio*
- *Comparatio.*

APHTHONII SOPHISTAE PROgymnaſmata, Rodolpho Agricola Phriſio interprete.

Fabula. I.

FAbula initio poëtarum fuit: poſtea uero ꝙ erudiendis pueris apta erat, à rhetoribus eſt etiã uſurpata. Eſt autẽ fabula, oratio falſa ſimilitudinẽ exprimens ueritatis: dictáq; Sybaritica & Cilix Cypria, ex inuentoribus nomen permutãs: euicit tamen ut magis Aeſopica uocaretur, ꝙ omniũ optimas Aeſopus fabulas conſcripſit. Et ſunt fabularũ aliæ quidẽ rationales, morales aliæ, aliæ mixtæ. Rationales ſunt, quibus aliquid facientẽ homi nem effingimus. Morales, quæ ratione carentiũ morẽ imitantur. Mixta eſt, in qua utrunq; rationale & irrationale iunguntur. Id autẽ cuius uel docendi cauſa, uel admonendi fabula recenſetur, ſi præponas, προμύθιον, id eſt (ut ita dixerim) præfabulare, ſi ſubiĳcias fabulæ, ὑπομύθιον, id eſt, ſubfabulare appellatur. Exemplum. Media feruebat æſtas, atque læto inter arbuſta cicadæ carmine ſtrepebant: laborabant uero formicæ, colligebántque frumentum, quo futuræ hyemis inopiam tolerarent. Veniente deinde hyeme, formicæ laboribus ſuis paſcebantur: cicadis uero ignaua illa uoluptas eſt uerſa in famem. Hoc pacto ĳ qui in iuuenta defugiunt laborem, in ſenecta egeſtate tabeſcunt.

Fabulæ definitio.

Fabulæ diuiſio.

Præfabulare Subfabulare.

Narratio. II.

Narratio eſt rei factæ, uel tanquã factæ expoſitio. Diuiditur autẽ in poëticam, hiſtoricam, & ciuilem. Poëtica eſt, quæ habet expoſitionem fictam. Hiſtorica, quæ uetuſtam

Diuiſio narrationis.

rerum cõmemorationem. Ciuilis est, qua rhetores utuntur in causis. Insunt autem narrationi sex: persona faciens, res facta, tempus circa quod, locus in quo, modus quo pacto, causa propter quã. Quatuor uero sunt uirtutes ipsius, perspicuitas, breuitas, probabilitas, & uerborũ proprietas. Exemplum. Si quisquam est qui Rosæ decorem miratur, is animo mihi Veneris reputet uulnus. Amabat enim dea Adonidem, contrà Mars ipse deam amabat: pariq; dea Adonidis amore, quo Mars Veneris tenebatur. Flagrabat deæ desiderio deus: dea sequebatur hominẽ. Similis utrorunq; ardor, tametsi natura inter se, ut diỹ homóque, differrent. Inuidens Mars Adonidi, perimere ipsum decreuit, unicũ abolẽdi amoris remedium mortẽ ipsius arbitratus. Percusso demum Adonide, cum rem dea accepisset, ut succurreret festinabat: raptóque properãter inter rosaria cursu, spinis incidit, calcémq; pedis perstrinxit: defluens autẽ ex uulnere sanguis, Rosæ colorẽ in nouã faciem mutauit: sicq; Rosa quæ initio fuerat alba, in hunc quo nunc aspicitur transiit colorem.

Narrationis uirtutes.

Persona faciens.

Res facta.

Modus quo pacto.

Causa propter quam.

Locus in quo.

Tempus circa quod.

Chria, siue usus. III.

Chria, id est usus, est ex persona alicuius dicti factiue breuis commemoratio. Vocata uero est usus, q̃ utilis in primis sit. Est autẽ usuũ alius rationalis, actiuus alius, alius mixtus. Rationalis est, qui oratione sola utile aliquid demonstrat, quale est: Plato inquit uirtutis ramos sudore & laboribus enasci. Actiuus, qui factũ solũ aliquod recẽset: ut, Pythagoras interrogatus quãta esset hominũ uita, parũper uidendũ se præbẽs, subitò abscõdit, uitæ humanæ mẽsurã cõspectus breuitate indicãs. Mixtus est, qui ex utroq; & oratione & facto cõstat: quale est Diogenis illud, qui cũ uidisset adolescentulum

Diuisio usus

adoleſcentulũ immodeſtius agentẽ, pædagogũ uerberauit, ſubiiciens: Quid ita talia doces? Hæc uero diuiſio eſt uſus. Diſpones autem ipſum his capitibus: Laudabis primũ perſonã, deinde explicabis uſum: poſtea cõfirmabis, primũ cauſa aliqua, hinc ex cõtrario, deinceps ſimilitudine, exemplo, teſtimonio ueterum: poſtremo epilogo breui concludes.

Exemplum. *Laudari iuſtum eſt propter egregiam doctrinã Iſocratem, qui nomen ipſis profecto ſtudiis clariſſimum dedit, quantáq; uis eſſet ipſorũ, experiendo exercendóq; oſtendit. Eo ſane gloriæ proceſſit, ut potius dediſſe nomen ſtudiis ſuis, q̃ laudem ab ipſis accepiſſe uideatur. Quibus autem uel reges admonens, uel inſtituens priuatos, bene de hominũ meruit uita, longũ eſſet recenſere. Verũ quod de eruditione tradidit, haud ab re fuerit cõmemorare. Amator, inquit, eruditionis, à laboribus auſpicatur, ſed laboribus deſinentibus in utilitatem. Quod q̃ uere ab eo rectéque dictũ ſit, uel hinc erit perſpicere. Amãtes enim eruditionis, à ducibus eruditionis conquiruntur primũ: ad quos accedere, uerſaríq; apud ipſos, ut formidoloſum eſt, ita relinquere ſtultiſſimum. Et pueri quidem nunquã metu uacãt, & quũ adſunt præceptores, & quum uenturos expectãt. Succedũt præceptoribus pædagogi, duri aſpectu, caſtigãtes uero cædẽtéſq;, duriores. Itaq; & pœna antè metu ipſo eſt grauis, & metum grauius ſubſequitur experimentũ, erratáq; omnia puerorum ſeueriſſime uindicãtur: recte facta uero, uelut ad ea demũ nati ſint, exactiſſime exiguntur. Iam uero pædagogis ipſis etiã patres ſunt moleſtiores, in deambulationes inquirentes, & uetantes egredi in publicũ, forúmq; ipſum ſuſpectũ habentes. Quod ſi animaduertere oportuerit, gra-*

Encomium perſonæ.

Vſus explicatio.

Primũ cõfirmat à cauſa.

uius, & uelut naturæ ætatísq; obliti coercent. Verũtamen per iſta, quũ ad uirilẽ ætatẽ peruenerit puer, cumulatur uir tutibus. Qui uerò ueritus iſta fugerit magiſtros, deſeruerit patres, pædagogos auerſetur, prorſus expers eruditionis mã nebit: fugiénsque metum, ſimul cum ipſo doctrinam relinquet. Hæc nimirum Iſocrati animũ induxerũt ut eruditionis acerbã uocaret radicem. Quemadmodum enim qui terram colunt, in ipſam multis ante laboribus ſubactam ſemina deiiciunt, fructus uero maiori comportãt uoluptate: ſic qui ad ſtudia accinguntur, multa cura ſequentem demũ gloriam comprehendunt. Aſpice autem mihi Demoſthenis uitã, qui oratorum omnium laborioſiſsimus, omnium quoque clariſsimus euaſit. Tantum enim illi ſtudij ſuperabat, ut comam natiuum capitis ornamentum detonderet, multo optimum ornamentum putans uirtutem: & laboribus conſumpſit, quæ ad uoluptates reliqui profundunt. Idcirco præclare hoc (ut omnia) Heſiodus ait, aſperam eſſe ad uirtutem uiam, cacumen uero molle. Heſiodus enim uiam uocauit, Iſocrates autem dixit radicem, differentibus nominibus eandem uterque ſententiam explicantes. Reſpicientes ergo ad iſta, laudabimus merito Iſocratem, pulcherrime hæc de eruditione tradentem.

Hinc ex contrario.

Deinceps ſimilitudine.

Exemplo.

Teſtimonio ueterum.

Poſtremo epilogo breui.

Sententia. IIII.

Sententia eſt oratio breui cõplexu aliquid quod ad hortandum dehortãdúmue pertinet, explicãs. Sentẽtiarũ uerò alia exhortãs, alia dehortãs, alia enunciãs. Eſt itẽ alia ſimplex, alia cõpoſita. Præterea, alia probabilis eſt, alia uera, ſuperlata alia. Exhortãs ſententia eſt, ut: Oportet hoſpitem præſentem amare, uolentem uerò mittere. Dehortans, ut:

Sententiarum diuiſio.

Turpe

Turpe quiete ducem totas deperdere noctes.

*Enunciãs,ut:*Pecuniis opus *eſt,ſine quibus nihil eorum quæ neceſſaria ſunt recte fiet. Simplex autem,ut:*

Optimum id augurium eſt, patriam tutarier armis.

Compoſita,ut:

Multos eſſe malum reges,rex unicus eſto.

Probabilis,ut:

Quales amicos quiſque habet,talem ſcias.

*Vera,ut:*Expers *malorum uita nulli contigit.*

*Superlata,ut:*Infirmius *nihil homine.* Hoc ergo *pacto ſententia diuiditur.* Tractabis *uero ipſam eiſdẽ capitibus,quæ in uſus explicatione diximus.*Laudabis *primũ, deinde explicabis,tum cõfirmabis ex cauſa,ex cõtrario,ſimilitudine, exemplo,teſtimonio ueterũ:demum breui epilogo cõcludes. Differt autem ſententia ab uſu , eo q̃ uſus perſæpe actiuus eſt,ſententia uero ſemper rationalis:deinde quòd uſus ſemper habet additã perſonã,ſentẽtia & ſine perſona effertur.*

Theognis:

In mare fluctiuagum,ne te premat aſpera egeſtas,
Deſili,& à celſis corrue Cyrne iugis. Exhortans ſententia.

Exemplum. Indignum Theognidi *uiſum eſt,* Poeticã *uelut rem ineptam accuſari. Itaque relictis fabularum cõmentis, ipſe ad formãdos mores,uitámq; inſtituendam, ipſam traduxit. Quũ uideret enim poetas cõpoſitis fabulis uelut præclaro aliquo inuẽto gaudẽtes,ipſe ſatius duxit, quomodo recte uiuatur,carmine cõplecti* Laudãdus *certe ob utrũq;,&* Laudat. *ob metri gratiã,& q̃ meliorũ admonẽs,inſtitutionis attulit fructũ.Sed huius ut alia omnia,ita hoc in primis merito quis laudauerit,quod de paupertate dixit.Et q̃d inquit?Vi-*

uens in paupertate, præcipitẽ mittere ſe, quo ipſam uitet nõ
Explicatio. dubitet: tanquã melius ſit præmature uitam relinquere, q̃
ſolẽ dedecoris ſui habere teſtem. Dixit quidem ille hæc, quæ
rectiſsime ab eo dicta eſſe cõſtabit, ſi quis uerũ uolet intue-
Confirmat ex cauſa. ri. Degens enim in paupertate, quũ adhuc minor natu eſt,
nequit exerceri ad uirtutẽ: ut uero ad uirilem peruenerit ætatem, improbiſsima faciet. Legatus enim pro patria, pecunia corrũpetur: cõcionaturus, quo ſpes lucri duxerit, eo flectet orationẽ: ius uero dicturus, pro largiente pronũciabit.
Ex contrario. Vacui autẽ paupertatis curis, & pueri, ad ſpem protinus honeſtiſsimã uirtutis attollũtur: & uiri facti cuncta ſplendide adminiſtrãt, iam in pace ſumptũ edendis publice muneribus, faciendiſq; ludis præbentes: iam in bello impenſas
Similitudine. in tolerãda militiæ onera cõferentes. At uero quemadmodum grauibus adſtricti uinculis, quo minus liberũ ipſis ſit quod uelint agere, uinculis prohibentur: ſic in paupertate degentibus obſtat, quo minus exercere libertatem poſsint,
Exemplo. ipſa paupertas. Irũ uides, qui quũ Ithacenſiũ unus eſſet, nõ tamen id iuris illi, quod reliquis ciuibus erat: uerũ tam moleſta ei fuit paupertas, ut nomen quoq; inopia permutarit. Nam quũ primũ Arnæus uocaretur, Irus appellatus eſt, cognomenq; ex profeſsione accepit. Et quid oportet Irum dicere? Ipſe qui Ithaca quoq; potiebatur Vlyſſes, poſtquã domũ rediens paupertatem ſimulabat, ipſius etiã ſenſit mala.
Παροινόμενος. deluſus enim, & ab ancillis inebriatus eſt. Adeo etiã ſpecies
Teſtimonio ueterum. eſt paupertatis moleſta. Præclare ergo rectéq; Euripides inquit, malũ eſſe nihil habere, neq; paupertatem nobilitate leuare. Quomodo ergo quis ſatis & pro dignitate laudabit
Epilogo. Theognidem, talia támq; grauiter de paupertate monentẽ?

Deſtructio

Deſtructio ſiue ſubuerſio. V.

Deſtructio uel ſubuerſio, quã ἀναιρεσιν Græci uocant, eſt propoſitæ alicuius rei reprehenſio. Subuertenda uero neque manifeſta ualde, neque prorſus incredibilia, ſed ea quæ uelut mediæ ſunt conditionis. Oportet autem quum ſubuertere aliquid uoles, primũ eos reprehendere qui dixerunt, deinde ſubiicere rei expoſitionem, poſtea ipſam ſubuertere his partibus, obſcuro uidelicet, incredibili, impoſsibili, nõ cohærente, indecoro, inutili. Hoc autem præexercitamentum omnem propemodũ uim artis in ſe cõplectitur. Exemplum.

Primũ eos reprehendit qui dixerunt.

Poetarum coarguere ineptiam, abſurdum mihi uidetur, quum uel ipſi fidem ſibi detrahant, hisq; maxime præter alia, quæ de Diis tã impudenter fabulãtur. Prorſus enim ſuperuacuũ uidetur: poetarum ullã nos habere rationem, qui deorum, quorum cura omnia gubernãtur, nullã ipſi habeãt curã. Et graue quidem uideretur, quiſquis ab ipſis deorum in fabulã miſſus eſſet: Apollinem uero, quem artis ſuæ ducem uideri uolunt, impudentiæ ſuæ materiã eſſe, quis eſt qui æquo animo perpeti poſsit? Libet ergo audire qualia de Apolline & Daphne confingant. Daphne, inquiunt, ex terra Ladonéque fluuio procreata eſt. Hanc ob egregiã ſpeciem, eximiúmq; oris decorem, Phœbus adamauit: cupiénſq, deus reſtinguere deſiderium ſuum, aſpernantem fugientémq; ſequutus eſt, ſed comprehendere nequiit: uerum terra mater, abſumpta filia, florem eo quo puella nomine, pro ipſa exhibuit: ipſam uero in arbuſtũ uertit: cuius rami propter deſideriũ puellæ in coronã Pythio Tripodi dicati ſunt, flos uero in mercedem ceſsit diuinationis. Huiuſmodi quidẽ ſunt quæ illi fabulãtur: quæ quàm ſit in prõptu confutare, hinc facile

Deinde ſubiicit rei expoſitionem.

Subuertit obſcuro. liquebit. Daphne ex Ladone & terra procreata eſt. Quis
Incredibili. oro tã demẽs, ut ex his quẽquã naſci poſſe credat? Ipſa hom
fuit: illi aũt diuerſam, & ſuã uterq; habebãt naturã. Quo
modo uero Ladõ terræ cõiũctus eſt? an q̃ aquis ipſam inun-
dat? Quin oẽs ergo fluuij, terræ mariti dicãtur, quũ nullus
ipſã non aquis ſuis irriget? Quòd ſi ex fluuio homo nata eſt,
quid ni ex homine fluuiũ quoq; naſci poſſe credemus? Qui
minus enim tales ex filiis poterunt gigni, q̃ ex qualibus ipſi
prodierũt? Iã quo pacto nuptias fluuij terræq; nominãt? Sen
tientiũ enim coniugiũ eſt: terra autẽ fluuiúſque, ſenſus ſunt
prorſus expertes. Ipſa uero Daphne utrũ paternũ ſequuta
genus, inter fluuios numerãda eſt, an pater filiæ homo putã
Impoſsibili. dus? Verũ eſto, cõcedatur poetis naſci Daphnẽ ex terra &
Ladone. Nata ergo puella, apud utrũ enutrita eſt? Vt demus
enim naſci ita potuiſſe, ut educaretur fieri tamẽ nõ potuit.
Vbi enim uerſata eſt puella? Hercule apud eũ qui genuit. Ec-
quis ergo hominum uitã in fluuio ducit? Obliuiſcetur enim
naturæ ſuæ pater, citiúſq; ſubmerget fluctibus, q̃ alet. Verũ
ſub terra apud matrẽ habitauit. Latebat ergo, nulliúſq; a-
ſpectui in occulto poſita patebat. Cuius autẽ latebat decor,
nullius animũ mouere deſiderio potuit. Vis & hoc aſſentia-
Indecoro. mur poetis? Quomodo tãdẽ amauit Deus, & impotẽti affe
ctu à natura ſua degenerauit? Amor enim omniũ quæ hu-
manas ſolicitãt mentes, moleſtiſsimus eſt. Impiũ autẽ uide-
tur, grauiſsima naturæ noſtræ diis quoq; attribuere. Nã ſi
omni ex parte noſtris teneãtur incõmodis, qua in re morta
libus præſtabũt? Nihil autẽ malorũ eſſe quod nõ experiãtur
certũ erit, ſi amore (quod omniũ peſsimum eſt) torqueãtur.
Sed neq; diuina natura hãc ægritudinẽ capit neq; credibi-

le

le eſt Phœbũ adamaſſe. Inſequens uero puellã Phœbus, quo-
modo ab ea uictus eſt curſu, Deus ab homine? Viri enim
mulieribus præſtant: & deũ fœmina ſuperauit? & quæ re-
liquis hominibus par eſſe nõ poteſt, ei deus ceſsiſſe credetur?
Quamobrẽ autem fugientẽ puellã mater excepit? An quia
malas nuptias putauit? Quomodo ergo ipſa facta eſt ma-
ter? An uero bonas credidit? Quur ergo bonũ id filiæ inui-
dit? Aut ergo mater nõ fuit, aut malã fuiſſe matrẽ cõſtabit.
Quid ita uero terra ſecũ ſuis ipſa operibus diſſenſit, offen-
ditq; Phœbum filiã auferens, rurſumq; reddita eiuſdem no
minis arbore ipſum oblectans? Non debebat gratificari illi,
ſi offendere ipſum uolebat. Quare demum deus arbore illa
tripodas coronauit? Arbor enim deſiderij fuit merces, diui-
natio uero uirtutis eſt indicium. Quomodo ergo Deus con
iunxit ea quæ natura repugnãt? Quid autem ita mortalis
cauſa fuit, finis uero immortalis? Sed finis ſit: neq; enim plu
ra de poetis dicã, ne ipſorũ ineptiam longius inſectando, in
eandem quã in illis reprehendo uanitatẽ, uidear incidiſſe.

Non cohærẽte.

inutili.

Epilogo.

Confirmatio ſiue aſſeueratio. VI.

Cataſceue, hoc eſt confirmatio uel aſſeueratio, eſt propo-
ſitæ rei comprobatio. Aſſeueranda uero, quæ neque prorſus
manifeſta ſunt, neq; omnino fidẽ ut fieri poſsint, habẽt: ſed
quæ medij quodãmodo ſunt generis. Oportet autem aſſeue
rantem cõtrariis uti eorum quibus deſtruẽtes utuntur. Pri-
mũ enim laudet eũ qui dixit quod aſſeuerãdũ eſt, deinde rẽ
exponat: poſtea cõtrariis eorũ quæ diximus ſupra, cõprobet
ipſam: pro obſcuro qdẽ manifeſto, pro incredibili probabili,
& poſsibili pro impoſsibili, & cohærẽte pro repugnãte, &
decẽte pro indecoro, & cõferẽte pro inutili. Sane hæc quoq;

Primum laudat eos qui dixerunt quod assuerādum est.

exercitatio omnem uim artis intra se complexa est. Exemplum. Poetas quisquis uituperat, ipsas mihi uituperare Musas uidetur. Si enim quæcūque canunt poetæ. Musis instincti profundūt, quid ni plane Musis bellū indicit, qui poetarū reprehendere conatur inuenta? Ego quidem quicquid poetæ dicūt, maiorem in modū laudo: potissimū uero quod aiunt Daphnen à Phœbo esse amatam. Quid, rogo, tādem tam procul à fide abhorrens istud habet? Daphne, inquiūt, è terra nata est & Ladone. An hoc ergo tam prorsus incredibile? Nōne rebus omnibus aqua & terra sunt origo? Nōne semina rerū omniū elementa præbent? Si uero quicquid gignitur, procedit ex terra & aqua, nimirū Daphne eisdē orta est, quibus omnia, principiis, Ladone & terra, genita scilicet inde, unde cūcta procreātur. Superabat aūt Daphne facie reliquas omnes. Recte quidē. Quæcūque enim ex terra se proferūt, primo uelut natiuo proprióque cōspicua decore, pulcherrima uidentur. Multa enim imitatio decoris, pulcherrimis quoq; rebus tēpore accedit: quæ uero nata primum uidenda se præbent, ea ueluti quæ nullū adhuc decoris sui damnū fecere, blandissime oculos nostros morantur. Recte igitur Daphne forma præstabat, primū ex terra procreata, Phœbus igitur quū decore superantē omnes uideret, amore ipsius est captus: nō iniuria. Quicquid enim in terris est, quo res ullæ sunt cōspicuæ atq; admirandæ, id est omne à diis ipsis tributū. Si uero bonorū omniū amabilis in primis est pulchritudo, quid mirū si iucūdissimū deorū munus, deū quoq; habuit amatorē? Quæ enim dij donāt, ea desiderāt omnes. Conabatur autem amās deus desiderio suo mederi. sic enim res habet: Virtutes nō sine conatu maiore cōparātur,

Deinde rem exponit.

Postea cōprobat manifesto.

Probabili.

Possibili.

&

& labore opus est quisquis eas assequi uelit. Hinc ergo conabatur desiderans, nec tamen desiderãs comprehẽdit. Ingens enim est uirtus, nec ad extremã ipsius metã quisquam potest peruenire. Aiunt igitur amare Phœbum, non terram scilicet, nec deorũ maiestatem uanis commentis dehonestãtes, sed uirtutis ostendentes naturã. Norat enim persequens Phœbus id quod sequebatur. Fugiente autem puella, mater ipsam excepit. Cuncta enim quæcunque sunt mortalẽ sortita naturã, qualis & ipsa fuerat Daphne, unde orta sunt, eodem reuertuntur: idcirco in terrã cecidit Daphne ex terra prognata. Accipiens autem puellã terra, pro ipsa reddidit arbustum. Vtraque enim terræ sunt opus: & in ipsam homines recondũtur, & ex ipsa arbores nascũtur. Procreatum autem arbustum, Apollinis honori dicatũ est. dij enim extra cõplexum prouidentiæ suæ, ne arbusta quidẽ reliquerunt, sed coronantur enatis: & primitiæ prodeuntiũ è terris, ipsis sacrãtur. Sed & arbor diuinationis facta est merces. Conueniens & hoc puto. Puellare enim nomen continentiæ tribuitur: & dare responsa, ex continẽtia procedit. Quoniã enim uoluptatum expers puella est, uirtutibus cõsecratur. Neq; enim posset capax futurorum esse, fœdis cõtaminatum uoluptatibus pectus. Propter hæc ergo poëtas ego admiror & laudo, ipsumque ueneror carmen.

Cohærente. Decente. Conferente. Epilogo.

Locus communis. VII.

Cõmunis locus est oratio, bona aut mala quæ alicui insunt augmẽtans. Dictus autẽ est cõmunis, quoniã cõmuniter omnibus eis conuenit, quibus ea res de qua agitur, inest. Oratio enim in proditorem, omnibus in cõmune proditioni obnoxijs aptatur. Videtur autem uelut secũdæ orationi &

conclusioni similis: ideóque proœmium communis locus nõ habet. Fingimus autem aliquid proœmij *simile, exercendorum iuniorũ causa: positóque eo subijcies primum caput ex contrario: hinc rei expositionem, non quidem tanquam doceas (nota enim res est) sed ut exasperes.* Post *hãc afferes cõparationem, qua ex collatione id de quo agitur, in maius extollas: hinc sententiã uel mentẽ, caput uidelicet quod ita uocatur, exprobrãs facti intentionẽ: deinde digressione cõiecturali antecedentem uitã in criminũ suspicionẽ deuocabis: post id uelut misericordiæ occurrendũ est: tum uelut postremis exercitamenti huius locis, legitimo, iusto, utili, possibili, honesto, euenturo concludendũ.* Exemplũ. *Quemadmodum legibus constitutũ est, ipsáque apud nos iudicia cẽsuerunt, pendat legibus pœnas is, cuius scelere, nec leges fuerant amplius permãsuræ. Quòd si præsenti absolutus iudicio, æquabiliorem populo sese foret præbiturus, esset fortè ꝙ quis illi remitteret pœnã. Quum uero elapsus in præsentia, sit longe uiolentior futurus, iniustũ certè fuerit futuræ tyrannidis initiũ præsenti delicto cõdonari.* In reliquis autẽ *fortasse non magnũ iudicũ periculũ fuerit, si quemuis nocentem impunitũ patiantur elabi.* Tyrãnidis uero *affectatæ si absoluatur, certum est ad iudices præcipuum pertinere discrimen, quos cum ipsis iudicijs sublatũ iri cõstat potiẽterum tyrãno.* Videmini autem mihi iudices in *eius solum quod in præsentia est, cõtẽplatione mentẽ habere defixam, uirtutis seueritatísq; maiorũ nostrorum obliti: quorum iustius erat reputare, animóq; proponere sententiam, qui nobis uelut maximum incomparabilèq; munus* Rẽpublicam *omni dominatione solutã reliquerunt.* Optimè quidem illi

Prius proœmium.

Proœmium posterius.

Ex cõtrario.

atque

atq; rectißime. Quando enim fortuna ipſa uarietate ſua inconſtantẽ ſe diuerſamq; hominibus præbet, proinde mẽtes quoq; hominum ad recte ſecúſque agendum multiplici flexu trahuntur. Hinc inæqualitati fortunæ, legũ æqualitatem oppoſuerunt, inſtituerúntq; Rẽpublicã, uelut unam ciuium omnium ſententiã facientes, ut fortunã nunc premẽtem res cuiuſque, nunc extollentẽ, legum conſtantia æquaret. Cuius iſte aut immemor, aut contẽptor potius, ſceleſtiſ- Expoſitio rei.
ſimo ſecum conſilio inſtituit, ut Rẽpublicã deleret, taliáque ſecum diſſerebat: Quorſum hoc ergo per deos immortales, ſupra omnes poſitus, omnibus me patiar æquari? Fruſtra permitto cumulare opes mihi fortunam, ſi eadẽ quæ reliqui faciam, eadem ferã, & collecti pauperes iudicent, & quod pauperibus uidetur lex eſt, mihiſque præfertur. Quouſque ergo hæc? aut quis erit his modus? Occupabo arcẽ, & peßimè perituras longe abigam leges, eróque reliquis ego lex potius, quàm reliqui mihi. Hæc ſecum ipſe cogitabat: nondum uero uotorum ſuorũ finem aſſequutus eſt: obſtitit enim beneuolentia deorum. Quid ergo? non iniquißimũ eſt, ſi propter ea quæ fruſtra conatus eſt, ſummam dijs gratiam debemus, propter eadem hæc hũc hodie conſeruari? Sceleratus eſt homicida, ſceleratior tamen multo tyrannus. Ille enim Comparatio
unum, quiſquis is fuerit, perimit: hic uero totas conuellit ciuitatis fortunas. Quanto ergo minus eſt parum offendere, quàm occidere omnes: tanto contrà eo qui hominẽ occidit, grauior eſt tyrãnus. In aliis autẽ reis euenit plerunque, ut Sentẽtia uel mens expro brãs facti in tentionem.
tametſi grauißima admiſerint, mentẽ eximant delicto, animóque defendãtur. Solus autem tyrannus fiduciam nõ habet, ut inuitũ ſe dicere queat tantum ſcelus ſuſcepiſſe. Nan-

que ſi inuitus tyrannidem aggrederetur, eſſet fortaſſe ratio aliqua huius ipſum conatus abſoluere. Verùm quum ante attentatã rem, multũ ſecũ diúq; deliberauerit, quomodo iuſtum cuiquã uidebitur culpa carere ipſum, qui ante operamente quoq; factus eſt tyrãnus? Alij ergo quicunq; in ius uocãtur, præſentis ſolum criminis rationem repoſcũtur: & propter prioris uitæ recte facta, plerunq; præſentibus ignoſcitur. Solus uero iſte utriuſq; tẽporis iudicium ſubeat oportet. Liquet enim immoderata præterita tuliſſe ipſum, quibus ad tantũ flagitij peruenit: & præſentia certe præteritis longe ſunt moleſtiora. Itaq; utrorunq; det pœnas, & eorum quæ antè, & eorũ quæ præſenti ſceleris conatu deliquit. Libet autẽ uidere, cuius preces præſenti ipſum diſcrimini ſint exẽpturæ. Liberi nẽpe? Verúm cum ſupplicãtes uobis, flẽtéſque illos uidebitis, putate aſsiſtere uobis leges, quarum uos reſpectu moueri multo rectius eſt, q̃ liberorum ipſius. Illos enim ſperatæ dominationis fuerat relicturus hæredes: leges uero quòd iudicandi decernendiq; de ipſo poteſtatẽ habetis, præſtant. Itaque per quas quòd iudices eſtis, uobis datur, pro eis iuſtius fuerit uos ſententiam ferre. Si enim recte leges iubent eos qui patriã liberant, honoribus proſequendos eſſe: relinquitur neceſſario, ut qui in ſeruitutẽ deducere ipſam conantur, puniatis. Iuſtũ autẽ eſt, ut tantum uobis det pœnarũ, quantum ipſe ſceleris admiſit. Proderitq; corruens tyrannus: ſtatum enim legũ cõfirmabit. Expeditum autem de ipſo ſumere ſupplicium. Neque enim quemadmodũ ipſe ad aſſerendã tyrannidem ſatellitibus, ita uos ad depellendũ ipſum auxilijs opus habetis: ſed ſufficiet iudices ſola ueſtra ſentẽtia, cuius quũ à republica ius poteſtatẽq; acceperitis,

Digreſsio cõtecturalis.

Miſericordiæ occurſus.

Legitimum.

Iuſtum.

Vtile.

poſsibile.

ritis, pulcherrimum quoq; erit pro reipublicæ ſalute ipſam experiri: facilique cognitione totam hanc præſentem tyrannidis poteſtatem auferetis. Honeſtum. Euenturum.

Laus. VIII.

Laus eſt oratio bona alicuius enumerãs. Laudãdæ uero ſunt perſonæ, res, tẽpora, loci, ratione carẽtia animalia, & plãtæ. Perſonæ, ut Thucydides, aut Demoſthenes: res, ut iuſtitia aut temperãtia: tempora, ut uer, æſtas: loci, ut portus, horti: bruta animalia, ut equus, bos: plantæ, ut uites, olea. Laudamus uero & cõmuniter, & ſingulatim. Cõmuniter, ut omnes ſimul Atheniẽſes: priuatim, ut Athenienſem unũ aliquem. Hæc uero diuiſio eſt laudis. Diſpones autẽ ipſam hoc pacto: primum proœmium pro qualitate rei pones. Inde ſubijcies genus, quod diuiditur in gentẽ, patriã, maiores & patres. Poſt id educationẽ explicabis, quæ inſtitutione, arte & legibus cõtinetur. Hinc præcipuũ laudũ omnium caput ſubdes, res geſtas, quas diuides in ea quæ ſunt animi, & quæ corporis ſunt, & quæ fortunæ. Animi, ut quæ fortitudinis ſunt, quæ prudentiæ. Corporis, ut decorem, uelocitatem, robur. Fortunæ, potentiã, amicos, opes. Addes deinde comparationẽ, qua id quod laudatur, alteri collatũ tollatur in maius. Poſtremo epilogo qui precationi ſimilior ſit, concludes. Diuiſio laudis. *Exemplũ. Thucydidis laus. Digni ſunt quos laudibus proſequamur, qui utilia uitæ inuenerũt, atq; quorũ induſtria pulcherrima rerũ facta ſunt locupletiora: & inuenta honeſta illorũ ingeniis accepta referri par eſt, qui ea in lucẽ protulerũt. Merito ergo Thucydides oratione mihi celebrãdus eſt, qui ipſi plurimũ attulit ornamenti. Omnes enim de ulla humanarũ rerum parte bene meritos æquũ eſt uene-* Proœmium.

rari: Thucydidem uero eo magis, q̃ pulcherrimo omniũ illu ſtrando curã ſuã impendit. Neque enim quicquã eloquentia pulchrius, neque Thucydide quenquã bene dicendi gloria præſtantiorem inuenire eſt. Nactus autem Thucydides

Patria. *eam eſt patriã, quæ & uitã pariter illi & eruditionẽ præberet. Neque enim alio in loco natus eſt, q̃ unde omnis benedicẽdi ratio profluxit: originémq; uitæ ſortitus Athenis,*

Maiores. *reges generis habuit ſui authores. Itaq; ab ultima protinus origine, clariore maior fortuna eſt illuſtratus. Vtraq; ergo habẽs, & generis amplitudinẽ, & ciuitatis ſtatũ populare, quo clarior utrinq; fieret, eſt ab utroq; adiutus. Ne enim ad iniuſtas opes potẽtiámq; dilaberetur, æqualitate legũ prohibitus eſt: néue in obſcura reliquæ plebis uilitate deliteſce-*

Educatio. *ret, fœlicitate generis eſt cõſequutus. Talibus igitur procreatus, in republica intérq; leges educatur, quas certe optimas eſſe uitæ magiſtras in cõfeſſo eſt. Inter leges autẽ armáque uiuere inſtituẽs, eruditioni ſimul atq; rei militari operã dare decreuit: neq; ſtudia in armis deſerẽs, neq; arma, ut præcipuã prudentiæ partem, relinquens: unóque conatu duarũ diuerſarúmq; artiũ curã habebat, cõiungens ingenio pariter ea quæ natura ſunt ſeparata. Vt tandem ad uirile peruenit robur, occaſionẽ quæſiuit proferendis eis quæ pulchre*

Res geſtæ. *fuerat in ætate meditatus. Nec defuit caſus, bellúmq; protinus eſt ortũ: ipſéq; res ab uniuerſa geſtas Græcia literis cõplexus, poſteritati mãdauit, cõſeruator eorum & uelut inſtaurator, quæ bellorũ deleuit iniuria. Nec paſſus eſt quod quiſque geſſit, temporũ ſitu aboleri. Ex ipſo ergo cognoſcitur captã eſſe Platæã, ſcitur Attică eſſe uaſtatã, tenetur Athenienſiũ claſſibus Peloponeſi oras eſſe nauigatas. Certatũ*

eſt

est nauali pugna apud Naupactũ: *non est nos* Thucydides *id passus latere.* Lesbus *ab* Athenienſibus *est capta, id quoque ab ipso indicatur.* Cum Ambraciotis *pugnatum est: hoc & ne diuturnitas aboleret effecit.* Iudiciũ Lacedæmoniorum *non ignoratur.* Sphracteria *&* Pylus *ingentes* Athenienſiũ *labores non latent.* Concionantur Corcyræi Athenis, Corinthij *ipsis contradicunt.* Aeginates *accusaturi* Lacedæmona proficiſcuntur. *Iam uero à belli consilio* Lacedæmonios Archidamus *absterrens, cõtra* Sthenelaides *ad bellum ſuſcipiendũ impellens. Ad hæc* Pericles *legationem* Laconicam *contemnens, neque passus deficere animo propter* peſtilentiã Athenienſes. *Cuncta hæc,* Thucydidis *opera ingenióque in omne æuum ab obliuione uindicãtur. Quis autem* Herodotũ *ipſi comparauerit? Ille enim ad uoluptatem legentiũ ſcripſit, hic omnia ex rebus ipſis atque ueritate deprompſit. Quãto uero quod ad alienã fit gratiam, infra id est, quod fit ad ueritatem: tanto poſt ſe* Thucydides Herodotum *relinquit.* Erant *alia quoque permulta, quæ de* Thucydide *dicerentur, niſi quo minus omnia diceremus, laudũ illius nobis obſtaret multitudo. Aliud exemplum.* Sapientiæ laus. *Sapientiã adipiſci, fœlicitatis est.* Laudare *autem pro dignitate ipſam, maius est quàm ut noſtris id uiribus aſſequi poſsimus.* Tantũ *enim illi ſuperat gloriæ, ut cõmune quoddã deorum immortaliũ bonum eſſe credatur. Quũ enim deorũ unuſquiſque uelut deſcriptam officij ſui tueatur partẽ,* Iuno nuptiis præſit, bellis Mars *cũ* Pallade, Vulcanus *inter ignes fabriles ſuas exerceat partes, ducat nauigãtes* Neptunus, *& quiſq; alius aliud ſibi uẽdicet, ſapiẽtiã in cõmune ſibi aſſerunt omnes: præcipue uero præ omnibus*

Comparatio.

Epilogus.

Proœmium.

Genus.

Iupiter, quanto reliquis maior est, tanto omniũ quoque sapientißimus existimatur: unáq; sapientia est, quæ uel maxime æternã Ioui præstat potestatem. Et dij quidem natiuã ipsam cognatámq; sibi habẽt, munere autem ipsorũ in terras quoque delata est: & deorum filij, hominũ ipsam generi intulerunt. Quamobrem merito laude prosequendi mihi uidentur poetæ, qui Palamedẽ Nestoráq;, & siquis alius sapiens olim fuisse canitur, deorũ fuisse filios tradiderunt, nõ quidem illi uano commento deorũ naturã uelut permutare conati, quã ne dij quidem ipsi permutare possent, sed generis permixtione cõmunicationẽ indicãtes uirtutis: ut qui diuina quadã cæteris admiratione præstarent, deorum filij crederentur. Nec immerito illorũ in deos referebant genus, quorũ sapiẽtia maior quàm humana, originem uidebatur affirmare diuinã. Sola autẽ ipsa in utroq; rerũ statu æquas habet uires. Nam reliquarũ rerũ alia bello solũ probantur, alia laudamus in pace. Sapientia uero præcipua est utriusque temporis moderatrix. Sic in bello uersatur, tãquã prorsus artiũ pacis ignara: sic pacem cõtinet, tanquam nunquã agitata strepitu bellorum. Denique tam apte utriq; sese accommodat, ut in utro horũ æstimes, ei soli uideatur esse dicata. Fert pacis temporibus leges, & omni trãquillitatis utitur more: in bello uero uictoriam præbet. Neq; armis solum superiorem facit, sed in cõcionibus quoq; præstat inuictum. Itaq; & inter bellãtes, & inter pacatos sola præcellit, primáque sibi uendicat sapientia. Sola quoq; diuinitatis proxime exprimit similitudinem. Sola enim uelut deus futura prospicit. Quin ipsa quoque terrã agricolis attribuit, nauigantibus aßignauit mare: adeo nõ fruges colligere sine sapientia,

pientia,non nauẽ,niſi ſapientis gubernatoris præſidio freti aſcendere auderemus. Itaq; *quicquid exhibet mare, quicquid hominũ uſibus terra profert, merito ſapientiæ munus cuncta cenſentur.* Ne *cælum quidem,& ſi quid ſecretius in ipſo latet,dimiſit in occulto: quantũ* Solis *ſe porrigit ambitus,quod ſpatiũ ſtellarũ unaquæque circunſcribit,ipſa perueſtigauit.* De*ſpexit intra terras etiã:& quo pacto uita defuncti agemus,ipſa nobis aperuit.* Troiam,*quã capere tẽporis diuturnitas nõ potuit,ſapientiæ actus ſubegit:& omnẽ* Perſarum *potentiam,unius* Cyri *cõſiliũ parauit.* Cyclopis *oculus erutus eſt prudenti* Vlyſſis *inuento.* Sicque *quicquid eſt quo quiſquã uincat,ab ipſa ſapientia deriuat.* Quis *ergo ipſi fortitudinẽ comparaſſe uelit, quũ quicquid uiribus fieri poſſit,ipſa etiam ſapientia præſtet?* Adeóq; *ſi ipſam fortitudini ademeris,per ſe fortitudo culpanda uideatur.* Erãt *& multa alia quæ de ſapientia dicerentur, niſi maiora eſſent,quàm quæ poſſent modica oratione complecti.* Comparatio. Epilogus.

Vituperatio. IX.

Vituperatio eſt oratio quæ mala alicui inſunt complectens. Differt *autem à loco communi uituperatio,quòd locus communis pœnas expoſcit,uituperatio uero ſolũ habet uelut nudum cõuitiũ.* Diuiditur *autẽ in eadẽ capita in quæ laus,poſſuntq; uituperari eadem omnia, quæ & laudari: perſonæ,res,tẽpora, loci,bruta animalia, atque plãtæ.* Vituperamus *uero & communiter,& ſingulatim.* Vbi *uero proœmium feceris,adiunges genus: quod diuides eadẽ qua in laude ratione: deinde educationem,& res geſtas,& cõparationẽ,& epilogũ ita facies,quẽadmodum in laude.* Diuiſio uituperationis.

Exemplum. Neque *uirtutem merita laude fruſtrari re-* Proœmium.

ctum est, neq; itidem sine reprehensione dedecora relinqui: quoniã si nõ ita fiat, id quod præcipuum est amborũ præmium, utriq; aufertur, laudãdis quidẽ gloria recte factorum, uituperãdis uero scelerũ turpitudo. Omnes autẽ male audire æquum est, qui malos sese præbuerunt: tanto magis uero omnibus Philippũ, q̃ omnes improbos longe omni scelere superauit. Genus. Natus enim est ex ea gente, quæ pessima est omnium Barbarorũ, & quæ non certis cõsistere sedibus potuerit propter ignauiã, sed coacta sit locũ è loco permutãs, uarijs erroribus iactari. Argiui enim primum ipsos finibus exturbauerunt. hinc diu uagi, ad eã tandem quã nunc incolũt regionẽ perlati sunt. Duplici itaq; infelicitate implexi, & q̃ melioribus coacti sunt cedere, & q̃ in imbecilliores uiolenti iniusti q; fuerunt, nunquã tutò habitare, aut uacui metu agere potuerunt. Hac ex gente natus, uiliore adhuc pro modo ortus est urbe. Vt enim ultimi Barbarorum sunt Patria. Macedones, ita Pella Macedoniæ urbs est postrema, ex qua ne quum mancipia quidẽ acceperint homines, tanti putãt. Hac ergo progenitus patria, maiores habuit patria ipsa lõge magis pudẽdos. Maiores. Philippus enim inter maiores ipsius fuit, propter generis dedecus, quo minus rerũ potiretur, prohibitus. Hinc Amyntas pater ipsius, ut regnaret alienis opibus fuit fulciẽdus: expulsum enim Atheniẽses reduxerũt. Tali igitur ortus patria, tales sortitus generis authores apud Thebanos moratus primũ obses fuit. Nec quãuis media in Græcia uersaretur, mores cõuictu mutans ad meliora deflexit, Educatio. sed barbaricã semper impotentiã inter Græcã retinuit institutionẽ. Cũq; sit omne humanũ genus in Græcos atq; Barbaros diuisum, ipse uelut ex utriq; cõmixtus, similẽ improbitatem

bitatẽ in diſsimilibus gentibus exercebat. Orſus ergo primùm à cognata gente, ipſam ſubegit, uelut à perfidia rerũ ſuarũ initia auſpicatus. Inde & finitimos aggreſſus populos perdomuit: captiſque deinde Pæonibus Illyricos eſt adeptus: Triballorũ quoq; gentẽ inuadẽs, & quicquid præterea in proximo erat terrarũ, omnia uno uelut impetu deuicit. Et corpora quidẽ Barbarorũ pugnãdo cepit, mẽtes autẽ cum corporibus nequiuit capere: uerùm defectionẽ meditabantur, quãuis armorũ metu ſeruirent: erántq; liberi animo, licet præſenti terrore premerentur. Subactis ergo finitimis barbaris, cõtinua uia Græcos inuaſit: primũq; ad Thraciam poſitas urbes occupauit, cepitq; Amphipolim, Pydnã ſubegit, iſtiſq; Potidæã adiunxit, neque Pheras extra Pagaſeos, neq; Magneſſam extra Pheras ducens. Sed cunctæ Theſſalorũ capiebantur urbes, & uelut generis mercedem ſeruitutem ferebãt. Dignum ſane fuerit, exitũ quoq; ipſius recenſere. Poſtea enim q̃ pleraque quæ inuaſit, oppreſſerat, ſubiecerátq; cõtra fœdera eos qui fuerãt fœderibus deuincti, offenſi uiolatis fœderũ ſacris diÿ, cõueniẽtem perfidiæ illius finẽ dederũt. Neq; enim pugnãtẽ, atq; in acie, ut teſtes mortis ſuæ ſpectatoréſq; uiros fortes haberet, ipſum occũbere uoluerunt: ſed mediis obruerunt uoluptatibus, conueniens Philippi ſceleribus funus exhibentes ipſas uoluptates, quò documentum intemperãtiæ illius uiuo morientiq; præberent. Quis autem eſt qui Echetum illi putet poſſe cõferri? Echetus enim præciſis extremis aliquibus corporis membris, reliquũ ſaltem corpus relinquebat: at Philippus totos cum corporibus ipſis homines perimebat. Quantóq; ſæuius eſt totum deleri hominem, q̃ partem aliquã auferri, tanto

Res geſtæ.

Comparatio.

Epilogus. *pernicioſior eſt* Echeto Philippus. *Deſinere autẽ à ſceleribus ſuis* Philippus *neſciebat, quum mihi uicto magnitudine ſcelerum illius, neceſſe ſit, ut deſinã plura de ipſis facere uerba.*

Comparatio. X.

Cõparatio eſt oratio ex collatione aliquid diſquirens, quo id quod comparatur, in maius extollat. Comparãtur autẽ uel bona bonis, uel bona malis, uel mala malis, uel magna paruis, uel parua maioribus. Prorſuſq; cõparatio duplicẽ habet, uel laudẽ, uel uituperationem, uel alterutrũ ex laude uituperationéque cõpoſitũ. Eſt itaq; totus hic cõparationis locus acer in primis, maxime uero parua maioribus cõferens. Cõparari uero eadem omnia poſſunt, quæ laudari poſſunt, quæque uituperari: perſonæ, res, tempora, loci, pecora, atq; plantæ. Non oportet autem comparantem totas res totis conferre (ſupinũ enim eſt, & nequaquã pugnax) ſed capiti caput conferendũ, quũ diuidere totas, laudis ſit mos, non cõparationis. Cõparatio autem in hoc non eſt poſita, quando totum hoc præexercitamentũ cõparatio uocatur.

Exemplũ. Volenti mihi uirtutem conferre uirtuti, cum
Proœmium. *Achille haud immerito cõponẽdus fuerit* Hector. *Sũt quidẽ ipſæ per ſe uirtutes nimirũ abundè honeſtæ, cõparatæ tamẽ*
Locus. *admirabiliores uidẽtur. Patria ergo nati ſunt nõ eadẽ, laudata tamen uterq;. Ille enim in* Phthia, *unde Græciæ ipſius primũ prodijt cognomentũ: hic uero* Troiæ, *cuius habitatores deorũ quoq; primi fuerunt. Quòd ſi pari natũ eſſe loco, affert aliquid ad laudẽ, nihil quidem hac in parte* Achilli *poſthabendus eſt* Hector. *Nati autẽ uterq; præclara patria,*
Genus. *parem quoq; generis habuerunt dignitatem. Vterque enim ad* Iouem *originem ſuam initiũmq; generis ſui refert. Pelei*

enim filius Achilles fuit, Aeaci uero Peleus, & Aeacus Iouis. Sic quoq; Hector Priami, Priamus autem Laomedõtis, & Dardani Laomedõ filius, Dardanus quoq; Ioue progna tus est. Progenitore autẽ Ioue nati uterq;, reliquã quoq; ma iorũ seriem habuerũt claritudine æqualem. Vt enim Achil les Aeacũ habuit & Pelea, quorum ille Græciam liberauit pestilentia, hic Lapithis deuictis, ob egregiã uirtutem Deæ coniugium est assecutus: sic Hectoris Dardanus progenitor fuit, deorũ primũ dignus habitus cõuictu: pater autẽ Priamus imperauit urbi cuius muros ipsi quoque dij fundarũt. Quòd si nõ minus est, quàm deæ sortitum esse cõiugia, deorum, idque optimorũ, mensa cõuiuióque usum esse, nihil est quod quisquã maiorum gloria Hectori præferat Achillem. Talibus autem uterq; maioribus procreati, ambo ad fortitudinis sese studia contulere: & ille quidẽ à Chirone educa- Educatio.
tus est, huic Priamus ipse præceptor uelut naturæ quadam uia uirtutis monimẽta tradebat. Par itaq; similisq; educatio, parem utriq; cõciliat laudẽ. Vt autẽ ad uirile peruenere robur, eodem in bello par uterque animi uirtutisq; specimen præbuerũt. Hector enim Troianos ducebat, solúsq; ue- Res gestæ.
lut obex propugnaculúmq; ciuitati datus, tuebatur ipsam: stetitq; q̃ diu fauentibus diis & auxiliaribus est usus. Cadens deinde, ipsam quoque Troiã post se traxit atque euertit. Achilles uero Græcorũ præerat armis, terroréq; omnes uincebat Troianos, Palladis fultus numine atque auxilio: occũbénsq;, spem uictoriæ in reliquũ abstulit Græcis, & ille quidẽ uictus à Pallade interiit, hic autem cecidit ab Apolli ne cõfixus: natíque ambo ex diis, ambo quoq; deos habuere mortis authores: útque diuinitus generis initia, ita uitæ etiã

exitũ accepere. Quòd ſi ſimilis utrique uita fuit, ſimiliſque mors utrunque abſtulit, quid eſt quo non Hector par ſit, quóque cedere debeat Achilli? Plura erant quæ dicerem de utriuſque uirtute, niſi quemadmodum in his quæ dixi, ita in reliquis per omnia ipſorum gloria eſſet æqualis.

Epilogus.

Ethopœia. XI.

Ethopœia, id eſt (ut ita dicamus) imitatio, eſt expreßio morũ perſonæ propoſitæ. Sunt autem tres ipſius ſpecies idolopœia, id eſt conformatio: proſopopœia, id eſt effictio: & eo quo diximus nomine ethopœia, id eſt ſermocinatio. Eſt autẽ ethopœia, quæ notã habẽs perſonã, mores ſolũ effingit, unde & ethopœia uocatur: ut qualia faceret uerba Hercules Euryſtheo ſibi imperãte. hic notus quidem eſt Hercules, dicẽtis uero effingimus mores. Idolopœia eſt, quæ perſonã habet notã, ſed defunctã, & loqui nõ potẽtem, quemadmodũ ὁ Δήμος Eupolis finxit, Ariſtides in oratione ὑπὲρ τῶν πατέρων. Vnde & idolopœia uocatur. Proſopopœia eſt, quãdo ſinguntur omnia, & mores, & perſonæ, quemadmodũ Menãder fecit Argumentum. Argumentũ enim nec rem nec perſonã habet propoſitã: unde proſopopœia eſt dicta: fingitur enim ipſa cũ moribus perſona. Diuiditur autem ethopœia: nãque alia affectũ exprimit, alia mores, alia utrũque. Ad affectũ pertinet, quæ prorſus animi ſignificat motũ: ut qualia uerba Hecuba faceret Troia ſubuerſa. Moralis eſt, quæ ſolos exprimit mores: ut Quid diceret mediterraneus primũ cõſpicatus mare? Mixta eſt, quæ mores habet pariter & affectũ: ut qualia loqueretur Achilles ſup occiſo Patroclo, de bello deliberãs. Mores enim cõſiliũ habet, affectũ uero amicus occiſus. Tractabis ethopœiã genere dicẽdi aperto, breui, florido,

Ethopœia.

Idolopœia.

Proſopopœia

Diuiſiones ethopœiæ.

rido, disiuncto, omni flexu atque figura remota: próq; capitibus diuides tribus ipsam temporibus, præsenti, præterito, & futuro. Exemplum. *Me miserã, quã aliã præ alia deflebo calamitatem, orbata nunc liberis, quibus antea fuerã insignis? Quæ copia infœlici mihi ad quam redacta est inopiã! Nõ sum iã misera unius filij mater, quæ antea tã multis cõspicua incedebã. At quanto satius foret sterilem fuisse potius, q̃ in lachrymas atque luctus fœcundã!* Longe *enim infœliciori sunt loco hæ quæ orbitatem suam deflent, eis quæ nunquam pepererũt. Hoc enim quod experimentũ amoris filiorum sumpserũt, destitutis postea acerbissimũ est. Sed infœlicẽ me, quæ parem ei qui me genuit, sum experta fortunam. Orta enim ex Tantalo, qui conuictu deorũ fœlix, tandem ab ea est deorũ amicitia euolutus, huius quoque cladibus meis approbo me esse genus. Cõiuncta enim sum Latonæ, pérq; hanc ipsam nũc his opprimor malis, & ipsius familiaritatẽ filiorũ orbitate deploro. Hicq́; mihi finis est cum dea cõiunctus, ut in calamitatibus degã. Prius nãq; quàm ipsi sum cognita Latonæ, fœlicior ipsa fui mater: ut aũt sum illi notior facta, desolata sum liberis: quorũ antea q̃ me nosset ipsa, insigni fui multitudine beata. Iacet ille sexus utriusque lætus filiorũ numerus, inopémque me lachrymarum fœlicitas effecit. Quo me uertam infœlix, ad quæ deflectar? quod mihi ad tot defunctos liberos sufficiet sepulchrũ? Miserã me, in tantis malis meis ipse quoque me deserit calamitatum mearum honor. Sed quid ista queror? Certũ est mihi deos orare, ut in aliam uertant me naturã. Vnum miseriarum mearũ uideo remediũ, ut in alicuius quod sensus uitæque sit expers, formã cõmuter. Sed uereor misera, ne & sic*

Niobes querela. Præsens.

Præteritum.

Futurum.

quoque quanuis mutata, inter lachrymas agere nõ ceſſem.

Deſcriptio. XII.

Deſcriptio eſt oratio, narratione id quod propoſitum eſt, diligenter uelut oculis ſubiiciens. Deſcribuntur autem perſonæ, res, tempora, loci, bruta animalia, & plantæ. Perſonæ, ut Homerus in Odyſſea ad Eurybaten,

Latus erat humeris, ore ater, crinéque criſpus.

Res, ut nauales pedeſtréſq; pugnæ, quemadmodũ hiſtorici. Tempora, ut uer aut æſtas, diſſerendo quàm multi in his ſe proferant flores. Loci, ut Thucydides portum Theſprotarũ χειμέριον *dixit, id eſt hyemalẽ, uelut figura. Deſcribẽtes uero perſonas, à ſummis ad ima uſque ire oportebit, id eſt à capite ad pedes. Res uero ab antecedẽtibus, & eis quæ inſunt ipſis, quæque ex ipſis ſolent prouenire. Tempora uero & loca ex eis quæ ipſis continentur. Deſcriptionũ autẽ aliæ ſunt ſimplices, cõpoſitæ aliæ. Simplices, ut quæ pedeſtres uel nauales explicãt pugnas. Cõpoſitæ, ut quæ res pariter temporáque cõiungũt, ueluti Thucydides, qui nocturnã in Sicilia pugnã deſcribit. Simul enim & pugnã quomodo facta ſit, & nocte quomodo gerebatur, cõprehendit. Oportet autem deſcribentẽ dicendi figura uti tenui, & multiplicibus orationem uariare ſchematibus, prorſuſque res imitari quas deſcribit. Exemplũ. Arces urbibus in publicũ ſunt præſidium cõſtitutæ. Sunt enim uelut hoſtiũ arctrices, firmãtúrque nõ magis ipſæ urbibus, quàm ipſas urbes tuentur. Athenienſium autem arcem media Athenarũ cõplectitur regio: Ea uero arx quã urbi ſuæ poſuit Alexander, ob quam cauſam nomen habet arcis, ob id ipſum quoque urbi additã eſſe, obuiũ eſt uidere. Quòd enim ſupra urbem poſita ex ſum-*

Diuiſio deſcriptionum.

Deſcriptio arcis Alexandriæ.

mo

mo tuetur ipſam, rectius hoc ſibi conueniet nomẽ, quàm ea qua gloriantur Athenienſes: hanc autem ſicuti ſe habet, ita oratione quoq; proſequemur. Cliuus quidam medio è ſolo extollitur, ingẽti in ſublime ſpacio ſe proferẽs: hunc arcẽ uocant propter utraq; hæc, & quòd hoſtes arceat, & quòd ſit in urbis arce, id eſt ſummo, locata. Viæ ad ipſam ducũt duæ, ſed diſſimiles. Hac enim uia eſt, illa uero patet ingreſſus: mutatíſq; proinde nominibus, idipſum quod ſunt, uocãtur. Hac nanq; parte pedibus quãuis paratus & expeditus acceſſus eſt, capáxq; curruũ uia. Illi uero quæ curribus inuia eſt, additæ ſunt ſcalæ, gradúſq; ſupra gradũ ex inferiori in ſublime deducẽs: neq; prius q̃ centenarium expleuerint numerum, deſinentes: idémq; numeri eſt uiæq; finis. Veſtibulũ dehinc gradus excipit clauſtris mediocribus obfirmatũ, quatuórq; ſublimes & maximæ columnæ, quæ uias omnes ad unũ deducunt ingreſſũ: Colũmnis his alias minores, pluréſque colũnas domus obtendit, quæ colore uario conſpicuæ eximium præbent loco ornatũ. Tectũ autẽ diætæ in circulum circũactum, ingentẽ multiplicémq; imaginẽ cõplectitur rerum. Introeunti autem arcem locus offertur, quatuor eiſdémq; æquis lateribus diuiſus: proinde quoq; tota ædificij figura efficitur quadrata. Aula in medio eſt colũnis incluſa. Eã porticus excipiunt, & eæ quoq; æqualibus diuiſæ colũnis, ita in medio diſpoſitis, ut neutrã in partẽ ſint nihil quicquã deflexæ. Vnaquæque autẽ porticus ad obliquam alterã finitur: & duplex eſt columna ad utranq; porticũ diuiſa, ut illa quidẽ deſinat, hac uero rurſum incipiat. Addita autẽ porticibus introrſum armaria, quibus libri recõduntur: eáq; ſemper, ſi cui uacet aut libeat legere aliquid,

patent, totãq; uelut urbem ad philoſophiæ cultũ adhortãtur. Alia item loca ſunt ad uenerationem deorũ uetuſtorũ inſtituta. Tectũ porticuum auro diſtinctũ, uertices columnarũ ære fabricati, auróq; ſuperne incluſi. Neq; uero aulæ ſimplex ornatus eſt, uerũ alius atq; alius: quorũ hic quidem Perſei cõtinet certamina, ille autem aliud. Media autẽ arce columna immẽſa altitudine ſe profert, quæ locum ipſum facit illuſtrem. Haud enim in prõptu quis quò progrediatur, habet, niſi indicem uiarũ hanc ſubinde reſpectet columnã. Quin & arcem ipſam terra mariq; cõſpicuã præſtat. In uertice columnæ principia rerũ, primáq; elementa ſunt expreſſa. Prius autẽ quàm media trãſeatur, ædificium eſt quoddã pluribus oſtiis patẽs, quorum cuique à deorum uetuſtorũ aliquo eſt inditum nomẽ: duæ dehinc pyramides lapideæ poſitæ, & fons profluens, Piſiſtratarũ fonte haud paulo melior. Mirandũ etiã id quoq; ſpectaculũ, eò ꝙ eorũ qui fabricati ſunt arcẽ, uelut uno tanto operi nõ ſufficiente, numerum nominãq; cõprehendit, duodecimque pariter in ipſo arcis faſtigio conſpiciuntur artifices. Deſcendẽti autẽ ab arce mollis offertur locus, ſtadio adſimilis, idq; ipſum loci eſt nomen: alia item parte alius quoq; ad ſimilia accõmodus, non tamen ad planum ferens. Et ornatus ſanè arcis pulchritudóque maior eſt, quàm ut paucis narrari poſſit. Quòd ſi quid prætermiſimus, admiratione rerũ in ſe rapiẽtium animum, eſt effectum. Sed & quæ pro magnitudine explicari non poterant, ea relinquere ſatius eſt uiſum.

Theſis. XIII.

Theſis, id eſt cõſultatio, eſt rei alicuius inueſtigandæ per orationẽ diſquiſitio. Cõſultationũ autem aliæ ciuiles ſunt,

aliæ

aliæ cõtemplatiuæ. Ciuiles ſunt, quæ actionem habent ciuitati accõmodatã, uelut, An ducẽda uxor ſit, an nauigãdũ, an muri faciendi. His enim omnibus ciuitatis ſtatus cõtinetur. Contẽplatiuæ uero, quæ ad ſolã animi conſiderationem pertinent, uidelicet, An globoſum cælũ, an multi ſint mũdi. Hæc enim in uſum hominibus nõ ueniũt, ſed mẽte ſola peruidentur. Differt autem cõſultatio ab hypotheſi, id eſt cauſa, ꝙ cauſa definita eſt, cõſultatio uero indefinita. Definitio autem fit perſona, re, cauſa, & reliquis, ut Muri ſint'ne faciendi, perquiſitio eſt ſine perſona. Quòd autẽ inuadentibus Perſis Lacedæmonij cõſultãt muro Spartã circundare, cauſa eſt. Perſonã enim habet, Lacedæmonios deliberãtes: rem, murũ Spartæ addere: cauſã uero, inuadentes Perſas. Prima autem omniũ præexercitamentorũ cõſultatio cõtradictionem & ſolutionẽ uelut quæſtio capit. Diuiditur theſis primum eo quod uocamus aggreſſum, quem proœmij loco ponnes: hinc finalibus uteris capitibus, legitimo, iuſto, utili, & poſsibili. Exemplum. Si quiſquã omnia pariter laudare uolet, is mihi matrimoniũ laudet. Demiſſum enim ex cælo eſt, ipſumq; rurſus cælũ deis impleuit, eóſq; procreauit, quorum munere paternũ hominibus tribuitur nomen: eiſdẽq; quos progenuit, dedit rerum naturã tuendã. In terras autem acceptum, reliquis omnibus originem dedit: quæq; ſingula natura ſua fluxa caducáq; erãt, ea ſtabiliuit poſteritate, æternitatémq; ipſis ſucceſsione adinuenit. Primum autem maxime ad fortitudinem ſubeundáq; conſtãter pericula homines impellit. Quoniã enim uxores liberóſq; defendit, pro quibus ſuſcipiuntur bella, certum eſt eo quo ad ſumenda arma hortatur, eo quoq; ut erecti bellorum euentus

Diuiſio conſultationũ.

Definitio.

Diuiſio theſeos.

Aggreſſus uice proœmij.

ſubeamus, hortari. Quin iuſtos etiã, nedum fortes homines efficit. Cognationũ enim neceſsitudines iuráq; tribuit, quorum reſpectu metúq; ab inferẽda iniuria homines coërcet: itáq; iuſtitiã ſimul docet cum fortitudine. Sed & ſapientes facit, quippe quibus chariſsimorũ pignorũ iniẽcit prouidentiam atq; curã: quódq; maxime quis miretur, ipſam temperantiã ſecum affert matrimonium, & in mediis uoluptatibus modeſtiæ quoq; inuenit locum. Legẽ enim libidinibus præſcribens, tẽperantiæ fine uoluptates coercet: quæq; ipſa per ſe accuſatur uoluptas, eam matrimonio coniunctã laudamus. Si ergo matrimoniũ deos dedit, & procreãdo poſteritatẽ omnẽ firmat, ſi fortes item iuſtóſq; facit, & ſapientes præſtat & tẽperantes, quis eſt qui nõ pro uirili, quatenus poſsit, ipſum ſibi putabit eſſe laudandũ? Sane, inquit, ſed calamitatũ multarũ matrimonium eſt cauſa. Fortunã mihi uideris, nõ matrimoniũ accuſare. Quæ enim aduerſa hominibus accidũt, eorũ fortuna eſt cauſa, nõ matrimonium. At cõtrà quæ læta matrimoniũ tribuit, ea certe nequaquã fortunæ accepta poſsũt referri. Rectius ergo eſt matrimonij bona laudare, q̃ accuſare mala quæ ex ipſa afferuntur fortuna. Iã uero ſi quis maxime humanorũ caſuum aduerſa uolet matrimonio aſsignare, nihilo tamẽ idcirco magis fugiẽdum erit. Nã ſi qua reliquis in rebus nos offendũt, ea continuò nos ab ipſarũ cura deterrebũt? Agedũ ſingulas excutiamus artes: omnes habẽt aliquid quod quis accuſet. Agricolæ procellis infeſtãtur, grãdine excutiuntur: nõ tamen ſi quos tempeſtas offendit, ideo ſtatim agros relinquũt, ſed perſeuerant colere. Neque nautæ ſi quid ex cælo accidit ipſis, continuò poſt tempeſtatem diſſoluunt naues, ceſsántq; nauigare deinceps

Cõtradictio. Solutio.

deinceps metu eorũ quæ pertulerunt: uerũ difficultates fortunæ tribuentes, ad opes quas mari parauerũt, reuertũtur. Bella etiã pugnáq; militãtiũ absumũt uitã: non tamẽ quia occũbunt aliqui, idcirco deserunt militiã: sed quia pugnãtes ob fortitudinẽ laudãtur, hoc ipso ctiã quòd ceciderunt, gaudent, & instãtem fortunæ asperitatẽ præsentis gloriæ bono repẽdũt. Neq; enim propter mala meliora fugiẽda sunt, sed bonorũ causa & asperrima perferenda. Nonne ergo absurdũ est, agricolas, nautas itẽ & milites difficultates meliorũ gratia tolerare, matrimoniũ uero nobis auersandũ putare, quia habeat aliquid quod offendat? Sane, inquit, sed uiduitatẽ mulieribus, pueríq; orbitatẽ affert. Mortis hæc mala sunt, háncq; nobis difficultatem circũdedit natura, quã tu quidẽ accusare mihi uideris: quòd nõ homines effecit ut diȷ essent, accusaréq; matrimonium, quòd nõ diis mortales coiunxit. Quid insimulas matrimoniũ eorum quorũ est apud mortẽ causa? Quur nuptiarũ dicis, quod ipsius est naturæ? Patere perire eũ qui natus est, quocũq; tandẽ pereat modo. Quid si occidũt homines quia nati sunt, eadémq; uia cõiugẽ uiduã relinquũt, natósq; ex se filios faciũt pupillos? Quid hæc matrimonij dices culpa fieri, quæ solũ ab ipsa fiunt natura? At ego ecõtrario orbitatẽ uiduitatémq; puto matrimonio resarciri. Mortuus est illi pater, eóq; nomine pupillus est: reddit rursus aliũ illi matrimoniũ patrẽ. Itaq; hoc malũ nõ ex matrimonio prodit, sed matrimonio occultatur, fitq; matrimoniũ nõ causa orbitatis, sed abscondit potius ipsam, & restaurat. Sic uiduitatẽ quoq; quã obitu mariti attulit natura, matrimoniũ nouis iterũ nuptiis immutat. Quã enim mors reliquit uiduã, hanc rursus matrimoniũ uiro cõiun-

Contradictio.
Solutio.

git: atque uelut cõseruator muneris sui, ea quæ dedit initio, ablata quoq; restituit. Auferre ergo uiduitatẽ solet matrimoniũ, non facere. Pater quoque morte liberis orbatur, rursumq; alios matrimonio assequitur: fitque secundo matrimonij munere pater, cui id quod semel iã habuerat paternum nomen, erat ablatum. Quid ergo matrimonij bona in crimen ipsius cõuertis? Videris mihi nõ arguere, sed laudare nuptias uelle. Quando enim enumerare nuptiarũ bona cogis, laudator matrimonij factus es potius quàm reprehensor: uituperánsque matrimoniũ, ut recenseamus laudes ipsius adducis, causamque præbes munera sua recognoscendi nobis, eo ipso quòd crimina tua refutamus. Esto, inquit, sed laboriosa tamen res est matrimonium. Verum, sed labores quoque matrimonium soluit, & auferuntur per nuptias, quæcunque exercitos homines reddunt. Facilis quidem res est cum muliere sociari: quantulũ autem uirum in thalamo uxori cõiungi? Iam q̃ in promptu speratur puer, speratúsq; se profert, & in lucẽ prodiens, mox patrem appellat? Addicitur deinde arti alicui discendæ, patríque fit laborũ particeps. In cõcionibus exinde uersatur, pascitq; in senecta patrem: & prorsus in quodcunque res ipsa poposcerit, aptũ se expeditúmq; præbet. Adeo nõ est oratione recensere quanta motrimonium afferat bona. Ingens ergo res est matrimonium, & deos procreans, & mortalibus ut dij esse uideantur, successione præstans. Docétque operatos sibi fortia atq; iusta, simulq; prudentiã & temperãtiam: quin & reprehensas alioqui uoluptates honestas facit. Idcirco plurimi faciendum esse matrimonium inter omnia facile constat.

Contradictio. Solutio.

Epilogus.

Legislatio. XIIII.

Legis

Legis quoque inductionẽ quidã exercitamentũ eſſe putauerunt. Eſt enim propemodũ tota cauſa, nõ tamen omnia quæ in cauſa ſunt, intra ſe cõtinens. Affert perſonã quidẽ, ſed incertã, & nõ omnibus notã: unde & in conſultationis magis eſt parte, q̃ cauſæ. Quatenus enim figurã in ſe habet perſonæ, ſuperat cõſultationem: quia tamen prorſus definitionem nõ habet, idcirco citra cauſam ſubſiſtit. Eſt autẽ duplex legis inductio, cõfirmatio poſitæ legis, atq; confutatio. Lex autem eſt inuentum deorum, cõmunis cõſtitutio ciuitatis, correctio utrinq; erratorũ. Diuiſio autem inducendæ legis eſt iſta. Tractabis eã capitibus eiſdẽ, quibus negocialẽ: legitimo, iuſto, utili, poſsibili. Proœmiũ facies, póſtq; proœmiũ ſubiicies cõtrariũ: hinc capitibus prædictis uteris. Vnde & hoc exercitamentũ à cauſa differt. Exemplũ. Nec mihi uidetur per omnia lex iſta laudãda: nec rurſus ea quæ ſcripta, prorſus reprehendenda crediderim. Quòd enim pœnã adulteris decernit, laudo plane: q̃ uero Iudicũ ſententiã nõ expectat, culpandũ certe uidetur. Si nãq; largitionis metu, ne qua Iudices corrumpãtur, iudicia præuenit, ſuſpicax nimirum eſt, & iniquæ nimiũ erga Iudices mẽtis. Si uerò iuſta iudicare uos, quemadmodũ facitis certe, arbitratur, iniquum eſſe cõſtat, ſi lex Iudices quidem laudet, tollat autem iudicandi poteſtatem. Aliæ ſane leges, quæcunque demũ eæ ſunt, & quacunq; ratione perlatæ, diſcrepãt forte ab alienæ ciuitatis legibus, ſed & alterius rurſus legibus conueniunt. Hæc autẽ ſola lex omnibus ſimul repugnat ciuitatũ inſtitutis. Videmini autẽ mihi multo rectius de hac lege cogniturí, ſi omnia recenſeatis cõſulta ueſtra atq; decreta. Duces bellorum, ſacerdotia, plebiſcita, omniáque adeo quæ ad

Diuiſio legis.

Proœmium.

Accuſatio legis iubentis adulterum in ipſo adulterio interfici.

Contrarium.

rem militarem pertinent, iudicum ſubeunt diligentiã. Fitq; dux ille, quẽ iudex cõſtituit: ſacrificat, qui iudici uidetur: iuſtúmque decretũ eſt, quod populi ſententia perrogatum eſt. Victores quoq; præmia nõ accipiunt bellorũ, niſi iudicata. Quomodo ergo non abſurdum eſt, omnia iudicũ arbitrium expectare, ſolam uero præſentẽ legem iudicũ ſubterfugere cognitionẽ? Sane, inquit, ſed magnæ ſunt mœchorũ iniuriæ. Quid autẽ? ſicariorũ an nõ lõge grauius ſcelus? quid proditores ſicariis? quid itẽ ſacrilegos proditoribus? an minus uidelicet credemus nocẽtes? Attamẽ quãuis deprehẽſus, iudicũ ſententiã experitur: neq; proditor pœnas dat, niſi decernẽte iudice: neq; perimitur ſicarius, niſi eo qui accuſat coarguẽte delictũ: neq; qui numinibus dicata præripuerũt puniũtur antè quã iudex admiſſum cognouerit ſcelus. Nonne ergo inquũ eſt, maiora iudicũ uindictæ reſeruari, neq; quicquã eorũ criminis loco, niſi iudici liqueat, æſtimari: ſolũ autẽ adulterũ perire ſine diſquiſitione, de quo maxime omniũ cognoſci oportebat, quanto rarius id cõtingere uidemus? Et quid refert, inquit, occidã adulterũ, an iudicibus tradã, ſi utraq; uia morte pœnas luet? Hoc intereſt ſcilicet, quod inter tyrãnum atque leges, quódque inter rempublicam & regnum. Tyranni enim eſt promiſcue quẽcunque libitum fuerit occidere, legũ uero non niſi eum qui ante ſit iudicio cõuictus. Hócq; uel hinc maxime liquet, quòd quæcũq; populus ante concionibus perquiſierit, de iis poſtea iudicio cognoſcitur. At leges ea quæ incerta ſunt, puniũt tanquam deprehenſa. Populus item diſceptatione omnia atq; cõtentione diſponit, quo ſint explicatiora omnia. Cõtra uero ſolus eſt pro omnibus, qui imperare & tyrãnidẽ gerere decreuit. Quid ergo?

Contradictio. Solutio. Contradictio. Solutio.

multúm ne

multúmne interefit occidere adulterũ,& iudicũ ſententiis puniendũ tradere? Ad hæc quoq;,qui per ſe adulterum occidit,ſeipſum arbitrũ pœnæ admiſſi ſceleris facit:qui uero iudicibus tradit ipſum,penes illos uult eſſe poteſtatẽ iúſq; animaduertendi. Neminẽ autẽ dubitare crediderim, quin æquius ſit,eius qui accuſatur arbitrium eſſe apud iudicem,q̃ apud accuſatorẽ. Quinetiã qui ſuo arbitratu adulterũ occidit,alterius rei gratia occidere ipſũ aduerſum ſe ſuſpicionẽ relinquit. At qui iudicio exhibet,ſolum iuſta ſectari,præſentiſq; ſceleris dolorẽ uidebitur ulciſci. Eſt,inquit,ſed grauiores dabit pœnas ſubitò peremptus: alioqui enim mediũ ad iudicium uſq; uitæ lucrabitur tempus. At contrà porro habebit,ſi iudicetur. Acerbiſſime enim iudicio deſtinatus deget. Ipſa enim expectatio mali,malo fere eſt magis acerba. Suppliciũ deinde repetitio pœnæ cumulúſq; uidebitur: morietúrq; ſæpe,qui iam pro mortuo habitus eſt,expectationémq; habebit exitu duriorẽ. Occiſus autem de improuiſo adulter,nõ dolet:ſenſumque mortis pœnæ celeritas aufert. Inſenſibilis enim exitus, qui antè quàm expectetur cõtingit:diu uero expectatus,ut ſemel ſolùm fiat,exaggerat tamen metus diuturnitate torméta. Age uero,ſi libet cõſidera hæc,cõferq; inuicẽ. Ille per ſeipſum occidit adulterũ,nullúmq; facit ultionis ſuæ teſtem:alius iudicibus tradit,multóſq; adhibet ſupplicio ſpectatores. Acerbior haud dubiè ultionis modus,quicunq; oculis eſt pluriũ ſubiectus. Et optabilius alioqui adulteris,utcunq; fuerit, occultè perire, opinionẽ apud pleroſq; relicturis,inimicitiarũ cauſa eſſe occiſos. Conuicto autẽ apud iudices crimine,indubitatam iam reus & nullis interpretationibus expoſitã ſuſtinet pœnam, Contradictio. Solutio.

& præter occultam illam mortẽ, apertam exploratámque
Contradictio. *Iudicum cognitionẽ. At grauis eſt adulter, omniúmq; ſcele-*
Solutio. *rũ magnitudinẽ ſupergreſſus. Coarguatur ergo prius, hinc occidatur: iudicetúrq; potius, quàm pœnas ante cognitionẽ incerto crimine pendat. Quemadmodũ enim ſublati adulteri certiorẽ facient procreationẽ, neq; quiſquã cuius ſit filius deinceps dubitabit, ubi paterni nominis inſidiæ adulteria fuerint adempta: ita quũ ſit adulteriũ publica quædam rerũ naturæ iniuria, publica quoq; ſentẽtia plectatur. Vereor enim ne adulter ſecretò occiſus, multos poſt ſe alios relinquat. Quãdo enim neſciũt reliqui quare perierit, improbe facta nihilominus æmulabũtur: atq; hoc ipſum q̃ punitus eſt, timeo ut nõ finis ſit, ſed initium futurum malorum.*

AVTHOR INNOMINATVS DE RHETORICIS.

OMnes res iuxta rhetoricæ indagationem diſciplinæ argumentando confirmantur, aut ex eo quòd perſonis, aut ex eo quod negotiis eſt attributũ. Ac perſonis has res attributas putamus, nomẽ, naturam, uictum, fortunam, habitum, affectionem,
Nomen. *ſtudia, conſilia, facta, orationes, caſus. Nomẽ eſt quod unicuique perſonæ datur, quo ſuo quæque proprio & certo uocabulo appellatur. Nam de nomine nonnunquam aliquid ſuſpicionis, ſiue argumentationis naſcitur: ut ſi dicamus idcirco aliquem callidum uocari, quòd temerario & repẽtino cõſilio ſit. Nam eiuſmodi nomina quaſi indices morum hominibus ſæpiſſimè imponuntur. Ac de natura licet ali-*
Natura. *quantulum ducere ſuſpiciones, cuius partes ſunt plurimæ.*

Aut

Aut enim ſexus conſideratur, ut uirne, an mulier ſit: aut natio, ut Graius, an Barbarus: aut patria, ut Athenienſis, an Lacedæmonius: aut cognatio, quibus maioribus, quibus conſanguineis: aut ætas, ut puer, an adoleſcens, natu grandior, an ſenex. Præterea commoda aut incõmoda conſiderantur, an natura data animo, an corpori, hoc modo: Valens an imbecillus, longus an breuis, formoſus an deformis, uelox an tardus, memor an obliuioſus: pudẽs, patiens, an cõtra: & omnia hæc quæ naturæ ſunt attributa ad aliquã cõiecturã faciendã. Et ex uictu multæ trahũtur ſuſpiciones, cũ quẽ admodũ, & apud quos, & à quibus educatus, & eruditus ſit quæritur, & cũ quibus uiuat, qua ratione uitæ, quo more domeſtico uiuat. Et ex fortuna ſæpe argumẽtatio naſcitur, cũ ſeruus an liber, pecunioſus an pauper, nobilis an ignobilis, fœlix an infœlix, priuatus an in poteſtate ſit, aut fuerit, aut futurus ſit, cõſideratur: aut deniq; aliquid eorũ quæritur, quæ fortunæ eſſe attributa intelligãtur. Habitus autẽ, quod in aliqua perfecta & cõſtãti animi, aut corporis abſolutione conſiſtit, aut uirtutis, aut artis alicuius perceptione, & itẽ corporis aliqua cõmoditate, nõ natura data, ſed ſtudio & induſtria cõparata, ipſa cauſa poſita docebitq; d hic quoq; locus ſuſpicionis oſtẽdat. Affectio eſt animi aut corporis ex tẽpore aliqua de cauſa cõmutatio: ut lætitia, metus, cupiditas, moleſtia, morbus, debilitas, & alia quæ in eodẽ genere reperiũtur. Et ideo affectionis quidẽ ratio perſpicuã ſolet per ſe gerere cõiecturã, ut amor, ira cũdia: propterea q; & illorũ uis intelligitur, & quæ res harũ aliquã rẽ cõſequãtur, facie cognitæ ſunt. Studiũ autẽ, quod eſt animi aſſidua, & uehementer ad aliquã rem applica-

Victus.

Fortuna.

Habitus.

Affectio.

Studium.

ta magna cum uolũtate occupatio: ut philoſophiæ, poëticæ, geometricæ, literarũ. Facile ex eo ducetur argumẽtatio eius quod res in cauſa deſiderabit. Item ex conſilio ſumetur aliquid ſuſpicionis. Nam cõſilium eſt aliquid faciendi, non faciendiue excogitata ratio. Facta autem, & caſus, & orationem, tribus ex temporibus conſiderabimus: quid fecerit, aut quid ipſi acciderit, aut quid dixerit: & quid faciat, quid ipſi accidat, quid dicat: aut quid facturus ſit, quid ipſi caſurũ, qua ſit uſurus oratione. Negotiis quæ ſunt attributa, partim ſunt cõtinentia cũ ipſo negotio, partim ingeſtione negotij cõſiderãtur: partim adiũcta negotiis ſunt, partim geſtum negotiũ cõſequuntur. Cõtinentia cum ipſo negotio ſunt ea, quæ ſemper adfixa eſſe uidentur ad rem, neq; ab ea poſſunt ſeparari. Ex his prima eſt breuis complexio totius negotij, quæ ſummã continet facti, hoc modo: Patris occiſio, patriæ proditio eſt. Deinde cauſæ eius ſummæ, per quã, & quãobrem, & cuius rei cauſa factum ſit quæritur. Deinde in ipſo genere negotij, quid actũ ſit, deinde quid poſtea factũ ſit. In geſtione negotij, qui locus ſecũdus erat, de his quæ negotiis ſunt attributa, quæritur: locus, tẽpus, modus, occaſio, facultas. Locus cõſideratur, in quo res geſta ſit, ex oppor tunitate quã uidetur habuiſſe negotiũ adminiſtrãdum. Ea autem opportunitas quæritur ex magnitudine, interuallo, lõginquitate, propinquitate, ſolitudine, celebritate, natura ipſius loci, & uicinitatis, & totius regionis. Ex his etiã attributionibus, ſacer, profanus: publicus, priuatus: alienus, an ipſius loci ſit de quo agitur, locus ſit aut fuerit. Tẽpus au tẽ eſt id quo nũc utimur. Nã ipſum quidẽ generaliter deſini re difficile eſt, pars quædã æternitatis, cum alicuius annui, menſtrui,

Conſilium.

Facta & caſus.

Negotiis attributa.

Locus.

Tempus.

menſtrui, diurni, nocturniue ſpacij certa ſignificatione. In hoc & quæ præterierint cõſiderãtur: & eorũ ipſorum quæ propter uetuſtatem obſoleuerint, aut incredibilia uideãtur, ut in fabularum numerũ reponantur, & quæ iam diu geſta, & à memoria noſtra remota, tamen faciunt fidem uere tradita eſſe, quòd eorũ monimẽta certa in literis extent: & quæ nuper geſta ſunt, quæ ſcire plerique poſſunt: & itẽ quæ inſtẽt in præſentia & cũ maxime fiant, & quæ conſequantur: in quibus poteſt conſiderari quid ocyus, quid ſerius futurũ ſit. Nã ſæpe oportet cõmetiri cum tempore negotium, & uidere, potueritne aut magnitudo negotij, aut multitudo in eo trãſigi tẽpore. Occaſio autẽ eſt pars temporis, habens in ſe alicuius rei faciẽdæ aut nõ faciendæ opportunitem. Verũ in tempore ſpaciũ quodãmodo declaratur, in occaſione ad ſpacium temporis faciendi quædã opportunitas intelligitur. Hæc in tria diſtribuitur genera, publicum, commune, ſingulare. Publicũ eſt, quod ciuitas uniuerſa aliqua de cauſa frequentat, ut ludi, dies feſtus, bellum. Cõmune, quod accidit omnibus eodem fere tempore, ut meſsis, uindemia, calor, frigus. Singulare eſt, quod aliqua de cauſa priuatim alicui ſolet accidere, ut nuptiæ, ſacrificiũ, funus, conuiuium. Occaſio.

Modus eſt in quo quemadmodum & quo animo factum ſit quæritur: cuius partes ſunt prudentia, & imprudentia. Prudentiæ autem ratio quæritur ex his quæ clam, palam, ui, perſuaſione fecerit. Imprudentia autem in purgationem confertur: cuius partes ſunt, inſcientia, caſus, neceſsitas. Modus.

Facultates ſunt, aut quibus facilius aliquid fit, aut ſine quibus nõ fit. Facultas.

Adiunctum negotio autem illud intelligitur, quod maius, & quod minus, & quod ſimile ei Adiunctum negotio.

negocio de quo agitur, & quod æque magnum, & quod contrariũ, & quod plurimũ dicitur, & quod disparatum, & genus, & pars, & euẽtus. Et *minus, & æque magnũ, & ex ui, & ex numero, & ex figura negocij, sicut ex actu corporis cõsideratur. Simile autem ex specie cõparabili aut conferenda atque assimilanda natura iudicatur. Contrarium est, quod positum est in genere diuerso ab eo cui contrarium dicitur. Plurimũ distat, ut frigus calor, uita mors. Disparatum est autem id quod ab aliqua re præpositione negationis separatur, hoc modo, sapere & non sapere. Genus est, quod partes aliquas cõplectitur, ut cupiditas. Pars est, quæ est sub genere, ut amor, auaritia. Euentus est exitus alicuius, in quo quæri solet quid ex quaque re euenerit, eueniat, euenturum sit, ut ex arrogantia odium: ex insolentia arrogantia. Quarta autem pars est ex his quæ negocio dicebamus attributa consecutio. Hæ res in hac quæruntur, quæ gestum negocium consequuntur. Primum factum est, quo id nomine appellari conueniat: Deinde eius facti qui sint principes & inuentores: Qui denique authoritatis eius & inuentionis comprobatores atque æmuli. Deinde quæ de ea re, aut quæ eius rei sit lex, consuetudo, pactio, iudicium, sciẽtia, artificium. Deinde natura eius, uulgo euenire soleat, an insolẽter & raro. Postea homines sua authoritate id comprobare, an defendere in his consueuerunt, & cætera quæ factum aliquid similiter cõfestim aut ex interuallo solent consequi. Ac negociis fere res hæ quas commemorauimus, sunt attributæ.*

FINIS.

PROGYMNASMATVM APHTHONII SOPHITAE SCHEMA.




Iudicialis generis
Destructio, subuersio, improbatio, a naſceue
non improbãda
ualde neceſſaria,
prorſus incredibilia,
ſed quæ me diæ ſunt cõditionis, quæ ancipitẽ habent opinionem:
eos qui dixerũt improbãdo, rei expoſitionẽ ſub iiciẽdo, ipſamque cõprobando,
his partibus,
obſcuro, incredibili, non cohærente, indecoro, inutili.
Confirmatio, aſſeueratio, cataſceue, comprobatio.
aſſeueranda
quæ neq; prorſus manifeſta, neque omnino fidem ut fieri poſſint habent,
ſed quæ medij quodãmodo ſunt generis, .i. quæ ancipitem habent opinionem:
eos qui dixerunt laudando, rem exponẽdo, ipſam comprobando,
his partibus,
manifeſto probabili poſsibili cohærẽte decente. conferẽte.
Locus communis proœmiũ nõ habet, ſed fingimus aliquid proœmij ſimile exercendi gratia.
tractatur
contrarij inquiſitione, rei expoſitione, cõparatione per increpationẽ, capite ſententiæ uel mentis exprobratione, intentionis flectæ digreſsione, coniecturali, miſeratiõe, per oratione, his capitibus,
non tanquã docẽdo, ſed exaſperando à maiore ad minus.
legitimo iuſto utili poſsibili honeſto decenti deſcriptione iniuriæ.
Legiſlatio habet proœmium, perſonam affert incertam.
Ea duplex eſt.
confirmatio poſitæ legis
Confutatio.
Tractatur his capitibus,
manifeſto legitimo iuſto utili poſsibili honeſto decenti.


Demõstratiui sunt generis
Laus
Laudãtur
personæ
res
tempora
loci
rationis expertia
plantæ
semina
montes
fluuij.
eius tractatio.
proœmium pro rei qualitate pones.
Inde subijcies genus: quod diuiditur in
gentem
patriam
maiores
pares.
post educationẽ, quæ cõtinetur
institutione
arte
legibus,
hinc subdes res gestas, quas diuides in ea quæ sunt
animi
iustus
moderatus
sapiens
strenuus
corporis
decor
uelocitas
robur
fortunæ
potentia
amici
opes.
Vituperatio diuiditur in eadem capita in quæ laus. Differt autem uituperatio à loco communi, quòd locus communis pœnas exposcit, uituperatio uero solùm habet uelut nudum conuitium.
Ethopœia imitatio
tres sũt ipsius species
Idolopœia. i. confirmatio
personã notam habet, sed defũctam, & loqui non potentem.
Prosopopœia. i. effictio
omnia fingit & mores, & personas.
Ethopœia. i. sermocinatio
notã habet per sonam, mores solùm effingit.
diuiditur in
affectũ
qui animi sunt motus,
mores
qui soli exprimuntur, & consilium habent.
utrũque
mores & affectum.
Tractatur ethopœia genere dicendi
aperto
breui
florido
disiuncto
figura remota
tribus diuiditur temporibus
præsenti
præterito
futuro.


Demõ-
ſtrotiui
ſunt ge-
neris.
Comparatio
ſimilium
bona
mala
bonis
malis
diuerſorũ
bona
mala
malis
bonis
miorum
ad minora
magna—paruis
parua—maioribus
minorum
ad maiora
compa-
rantur
perſonæ,
res,
tempora,
loci,
pecora,
plantæ.
Deſcriptio.
ſimplex
pedeſtres pu-
gnas, uel na-
uales explicat
compoſita
res pariter
temporáque
coniungit
deſcri-
bũtur
perſonæ—Homerus
res naual. uel pedeſt. —pugnæ
tempora—uer, æſtas
ſtatus — pacis, belli
loca—urbes, campi
pecora—equus, bos
plantæ— uitis, olea.
Oportet autem deſcribentem
dicendi figura uti.
tenuì,
multiplicibus ſchematibus,
res prorſus imitari quas deſcribit.

FINIS.

Digitized by Google